

est Ens absolute & intrinsecè necessarium. Quia autem constat, Deum esse Ens intrinsecè necessarium, primum & independens in causando. E. Deum ab ulla alia causa finem essentiae suae accipere repugnat. Stat E. prior conclusio, Deum infinitum esse essentialiter & entitativè.

Th. X. Nunc tandem etiam in eo occupabimur, ut infinitatem, quatenus constituit peculiare Dei attributum, omnemque possibilem perfectionem complectitur, cum negatione terminabilitatis de Deo demonstrare possimus. Et quidem in Scripturâ infinitas Dei, quæ est perfectio ratione cujus Deus est omnia, sive continet perfectiones omnes indivisibiliter & indeterminabiliter, uti lumen nostræ Salanæ *Magnif. Dn. D. Job. Musæus in lectionibus publicis super loca Theol. non adeò pridem absolutis cap. II. de attrib. Dei neg.* eam describit, sub magnitudinis nomine indigitari videtur. Ut *Psal. 145. v. 3.* dicitur: Magnus est Jehova & laudandus valdè & magnitudinis ejus non est finis. Ubi notum est, quòd hæc non intelligi possint de magnitudine molis sive secundum quantitatem, sed de magnitudine virtutis seu perfectionis. Et videtur ibi Deus dici magnus ob complexum omnium perfectionum possibilium, & quidem cum connotatâ interminabilitate, quia statim in eodem vers. 3. additur: & magnitudinis ejus non est finis, id est, quæcunque possibile sunt perfectiones, Deo insunt interminabiliter, quod nihil videtur esse aliud, quàm Deum esse infinitum, prout scil. infinitas peculiare constituit attributum. Sic locum Psalmi hujus interpretante modò laudato *Magnif. Dn. D. Job. Musæo loco jam cit.*

Th. XI. Verùm quoniam hæc ad superiorem, Theologicam scilicet, spectant cathedram, & nos non ex libro Scripturæ, sed naturæ hoc Dei attributum eruere nobis proposuimus, missa in præsentia hæc facimus, & ad rationes ex naturæ scrutinio depromptas, quibus nimirum infinitas dicto modo spectata de Deo probari potest, nos convertimus. Idque faciliùs in actum deducere poterimus, quia in præcedentibus jam tum infinitatem de essentia diviña demonstravimus. Jam verò qualis est essentia, tales sunt etiam ejus perfectiones,

Th.